DE DENSITATE MIXTORVM EX METALLIS ET SEMIMETALLIS FACTORVM.

Auctore

C. E. Gellert.

§. 1.

Institutis experimentis circa densitatem duorum metallorum inter se commixtorum, de quibus videatur Cl. Domini Krafftii dissertatio, insuper metallis semimetalla admiscui et mixtorum quaedam phaenomena praeprimis densitatem obseruaui; quae experimenta recensere, phaenomena annotare et si potero explicare conabor.

§, 2. Metallis et semimetallis vtcunque puris vsus sum, operationes, quantum pro meo apparatu suppellectilique chymica fieri potuit, accurate institui; quasdam, quo me certiorem redderem reiteraui; ad vnamquamque operationem noua mundaque vasa adhibui et sollicite curaui ne quid peregrini mixtum ingrederetur; commixtionem mechanicam, vbi licuit, haud neglexi; cum colliquarem metalla difficulter fluentia cum semimetallis, superaddidi aliquid tartari et vitri communis ad nimium dispendium euitandum. Ponderationem hydrostaticam ad densitates detegendas, Cl. Krafftius, vt pote cuius curae instrumenta physica commissa sunt, benigne in se suscepit et pro more suo accuratissime confecit, quam benevolentiam et reliqua in me collata beneficia omni qua par est obseruantia animi, reuerentia grataque mente semper agnoscam.

§. 3.